



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. De Æquis, seu Æquicolis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

runt infra Volscos, vbi dicti sunt Aurunci; sic enim disertè Seruius ad 7. Aeneidos; *Aurunci Gracis Ausones nominantur: & apud Macrobius & Agellum pro Ausonibus appellantur Autunci.* Sed rem conficit Tzetzes ex Dione Cocceiano; *Ausonia propria Auruncorum vocatur terra inter Campanos, & Volscos ad mare sita.* Porro de nomine Auruncorum antiqui prorsus tacent.

**FINES AVRUNCORVM** sunt, ab Oriente Mons Massicus supra Suesam Auruncam; à Septentrione & Occidente hinc linea deueniens ad Terracinam; à Meridie pars Inferi maris.

#### N V M. 3. De Hernicis.

**NOMEN & ORIGO.** Dīti sunt à Saxis quæ incolebant; nam Marsicā & Sabinā linguā *Herna* significant *Saxa*, sic Festus & Seruius: Macrobius tamen eorum nomen ab Hernico quodam Pelasgo deduxit, quem Ætolum fuisse suspicatur, quia deinceps gens illa uno pede nudo ad bellum procedebat.

Initio Historiæ Romanæ semper distinguuntur à Latinis, & origine Sabini ex voce satis intelliguntur: tūmque apud Dionys. Halic. dicuntur gens valida, bellicosa, & fortis; sed tandem in Latij fines nomēnque transferunt.

**FINES:** à Septentrione Marsis, & Æquis coniunguntur, ab Oriente, Meridie, Occidente Volscis ambiuntur.

#### N V M. 4. De Aequis, seu Aequicolis.

**NOMEN & ORIGO.** Variis modis eorum effertur nomen, nam & dicuntur *Æqui*, & *Æquicoli*, & *Æquani αἰγαροί*, & *Æquiculi*, & *Equicoli*, apud Diodorum Siculum *Æcli*, & *Æcigli*. Vox autem illa *Cole*, & *Coli* innuit eos agris colendis vacasse; vnde Virgilius ad eorum nomen videtur allusisse dum cecinit 7. Aeneidos,  
— *duris Aequicula glebis*.

Sub initium Historiæ Romanæ à Latinis distinguuntur, vt apud Liuium lib. 3 dicuntur *agrum Latinum innasisse*, & paulò pōst in *Latino castra posuisse*: item *vexatos excursionibus Aequorum Latinos*; igitur Latini non erant, sed vieti, subiugati, attriti Latio accensū sunt, vt testatur Strabo lib. 5. & apud Florum lib. 1. cap. 11. *Pertinacissimi Latinorum dicuntur fuisse Aequi, & Volsci.*

Populationibus aptissimi erant, & quantum Romani pugnandi arte, tantum hi incursionibus valebant, Liuius lib. 2. quod Virgilius sic expressit, — semperque recentes

*Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.*

FINES. A Septentrione per montes dirimuntur à Sabinis & Marsis; ab Occidente Latinis, seu Latio Antiquo in quod excurrebant per montem Algidum; ab Oriente attingebant Marsos, & Hernicos; à Meridie denique distinguebantur à Nouo Latio per montes supra Sacriportum.

### §. 3. De Vrbe, seu Romana Ciuitate.

ROMANA ciuitas à Romulo & pastoribus ut vulgo creditur condita, à sceleratis atque decoctoribus in Asylum confluentibus aucta, ex initii adeò paruis crevit ut eius murum per iocum Remus dicatur transiliisse. Eius Epitheta in syllabum digesta legere poteris apud Ortelium in Latio antiquo, quorum hæc præstantissima; *Aeterna, caput gentium & orbis, curia dignitatum, mundi miraculum, orbis officina, templum omnium virtutum, Vranopolis, &c.*

#### NVM. I. Nomen & Origo.

ROMÆ aliud nomen fuisset impositum per Aborigines tradunt Plinius, Festus, Macrobius, & alij, quod nefas esset nominari; ideoque Valerium Soranum neci datum quod eam vocem appellasset. Quidam Valentiam dictam esse volunt, & vocem Ράμη Græcè ab Euandro formatam esse; sic Solinus cap. 1. Cùm autem antonomaesticos Vrbs dicitur, intelligitur Roma; vt Ἀθηνæ, πόλις Alexandria.

De eius conditoribus decem vulgo & amplius recensentur opiniones, quas leges apud Cluuerium, & Onuphrium ad mausoleum hic diffusos.

#### NVM. 2. Amplitudo.

DIONYS. Halic. lib. 14. ait Romam non multo capaciorem Athenis esse, at Athenæ ex Thucyd. sunt stadiorum 178. quæ efficiunt M. P. 22. & passus 250. A quo non multum aberrat Olympiodorus apud Photium, qui ait Amonem Geometram dimensum Vrbem quo tempore eam Gothi invaserunt, inuenisse 21. Millaria,

ria,